



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Anhusium, Anhausen/ ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

19. D. Chunigundis à Rinach successit Dominae Otiliae. Præfuit annis 42. Obiit anno 1537.

20. D. Cordula, nobilis virago de Kroezingen, gravis & facunda Domina, eligitur anno 1538. Præest adhuc currente hoc jubilaëo. Hæc superiore anno clementer mihi communicavit, quicquid habebat veterum monumentorū, inspiciendum, in quibus & hoc repperi, quod Domina Richarda Imperatrix, ante hujus cœnobii constructionem, habitavit in S. Marini Papiensis urbis præpotenti monialium cœnobio, cujus ipsa fuit suprema gubernatrix, sicuti & Secanici ad Rhenum, & Thuregensis ad Limagum siti, ex mariti sui Caroli Crassi donatione anno Domini 881. facta. Diploma ejus donationis ad Potamum in Palatio Imperiali datum est. In nomine Domini, in quo & hoc animadverti diligenter, quod Imperator, etsi ab uxore jam segregatus, ubique tamen Imperatricem dilectissimam conjugem suam appellat.

Richarda.

**A**NHUSIUM, Anhausen / cœnobium monachorum instituti ac ordinis Benedictini magnificum ac opulentum, in Marchionatu Brandenburgensi Norico, aut in Rhæsa potius (quæ Sveviæ pars est) non procul à Wassertruhedinga oppido, olim ejusdem nominis Comitum, nunc vero Brandenburgensium Marchionum, ad Wernicum amnem situm, Aureatensis Diœceseos: fundatum ac construi cœptum est anno Christi 958. ab Ernesto Comite de Alto-Truhendingen ejusq; sororio Hartmanno Barone de Lodenburg. Occasio construendi cœnobii hæc erat. Exutus erat Comes Ernestus propter inobedientiam ditione sua ac toto comitatu ab Imperatore Othone magno, in cujus Gynæceo habuerat nuper sororem Comes Ernestus, quam uxorem duxerat Baro Hartmannus de Lodenburg, Mysius: qui cum clementem haberet & Imperatorem & Imperatricem, fideliter etiam & tam diu apud Cæsarem laboravit, donec affini suo Comitatum amissum recuperaret: hac tamen lege & conditione, ut Ernestus Comes Westensen pagum aliosq; vicinos ad Anhusense facellum legaret, unde cœnobium ibi Benedictinæ

Monasterium Anhusium qua occasione sit extructum.

Benedictinum

D 2

Benedictinij

Chronologia  
Monasterio  
rum Germaniarum  
S. III



cænobi-  
um.  
Hart-  
mannus  
Loden-  
burgius  
brachi-  
um suum  
legavit  
cænobio  
Anbusio.

professionis construi posset. Accidit vero postea successu tem-  
poris, ut Hartmannus etiam ille Lodenburgius in Rhæsa ab  
hostibus suis fugatus Dei beneficio ex magno periculo in hoc  
ipsum cænobium elapsus esset salvus & incolumis: moriens itaq;  
dextrum brachium suum eidem cænobio legavit, ubi in D. Vir-  
ginis sacello humatum est. Quod cum audiret aliquando unus  
ex ejus posteris, qui tum Episcopus Herbipolensis erat, legavit  
ille etiam Deo in gratiarum actionem, pro servato illic olim  
Hartmanno eidem monasterio, plaustrum boni vini Francici,  
singulis annis ejus loci cænobitis transmittendum. Hartmannus  
vero Comes cum aliis suæ gentis heroibus cubat in cænobio Hey-  
denheimensi. Habuit cænobium hoc initio gubernatores præ-  
positos, quorum nomina interciderunt. Abbates vero adhuc  
postea usq; tempora, omnes ferè nobili genere nati, hi annotati  
inveniuntur.

1. *Marquardus* Abbas primus. Obiit anno Domini 1102.
2. *Albertus* obiit anno 1127. Præfuit annis 25.
3. *Leopoldus* præfuit annis 29. Et obiit anno 1156.
4. *Conradus* præfuit annis 25. Valedixit rebus mundanis  
anno 1181.
5. *Henricus* præfuit annis 40. Obiit anno Domini 1221.
6. *Sigefridus* de Lacu præfuit annis 25. Obiit anno 1246.
7. *Rupertus* præfuit decem annis, decessit anno 1256.
8. *Otho* de Lacu præfuit annis quinque. Migravit ex hac vi-  
ta anno 1261.
9. *Sifridus* de Lacu præfuit 13. annis. Obiit anno 1274.
10. *Henricus* de Witabo præfuit annis novem. Obiit an-  
no 1283.
11. *Otho* de Lacu triginta præfuit annis, & obiit anno 1313.
12. *Sigefridus* de Lacu præfuit annis tredecim, & obiit an-  
no 1326.
13. *Sifridus Peifferus* præfuit annis 28. decessit anno 1354.
14. *Udalricus* de Lacu præfuit annis viginti duobus. Obiit  
anno 1376.
15. *Udalricus* de Gew præfuit annis sedecim. Obiit an. 1392.

16. *Wilin-*

16. *Wilingus* præfuit 10. annis : decessit ex hac ad meliorem vitam anno 1402.

17. *Wilhelmus* de Lacu præfuit annis uno & quadraginta. Interfuit Concilio Constantiensi : migravit ad patres suos anno 1443.

18. *Georgius* de Schechingen ex Elwangenfi Abbatia assumtus, præfuit annis triginta octo : migravit ex hoc sæculo anno 1481.

19. *Wilhelmus* Schechs, nobilis de Pleinfeld, primus hujus monasterii Abbas infulatus, præfuit annis 18. Obiit anno. 1499.

20. *Georgius*, Dapifer de Wetzhausen, egregius monasterii illustrator, eligitur anno Domini 1499. Antea terræ sanctæ peregrinus, anno videlicet 1490. In cujus rei memoriam condidit in choro templi Anhusensis Dominicum sepulchrum anno Domini 1521. ut scriptum est in marmoreo monumento eidem parieti inhærente. Cessit ex monasterio ad Eychstadium propter mutatam in Marchionatu Brandenburgensi religionem anno Domini 1530. Vivit adhuc Eistadii anno Domini 1548. Reverendissimo Aureatensium Episcopo Domino Mauritio ab Hutten eximie charus. Monasterio interim præfuit, & adhuc hodie Marchionum Brandenburgensium præsidet (etsi facta sit jam à Marchione Alberto copia monachis ad pristinum locum suum redeundi) Benedictus Mulbergerus, Lauffensis, monasticæ juventutis antea pædagogus. Fuit hoc monasterium olim sub tutela Dinkelspuheli, Gamundiæ ac Nordlingiaci, civitatum in Suevia imperialium : sed redegerunt in suam potestatem totum Marchiones Brandenburgenses eo anno, quo civile bellum exarserat inter Germaniæ principes & urbes imperiales, videlicet 1450. Plurima ad hoc cœnobium ampliandum contulit anno Christi 1367. strenuus vir *Sigefridus Peifferus*, ex cujus posteritate ego Bruschius natus sum. Ratio verò immutati nominis mei in Waldsassensis cœnobii explicatione aperietur : eo enim cœnobio ejusdem familiæ aliqui ante annos septuaginta Abbatibus extitere.

Sepulchrum Christi exstru-ctum.

Anbusii monasterii protectores.

Brandenburgenses Marchiones domini facti Monasterii Anbusiani.

Bruschij

Chronologia  
Monasterii  
Anbusiani  
S. III